



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Præfatio Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

P R A E F A T I O

A D

LECTOREM.



HABES, studiose Lector, de Iustitia & Jure tractationem, quam annos abhinc undecim vel duodecim publice Louanij dictavi, recognitam illam & auctam: cui deinde reliquarum Virtutum Cardinalium, Prudentia, Fortitudinis & Temperantia explicationem adieci. Non cogitaueram initio typis euulgare, quod uiderem satis multa à uiris doctissimis de huiusmodi materijs, praesertim de Iustitia & Jure, in lucem edi; sed crebra multorum & diuturna flagitatio extorsit, quam non assentatoriam, sed seriam fuisse uel ex eo facile conieci, quod à plurimis illa dictata (sicut & pleraque alia, quae multorum annorum decursu hic docueram) scirem magno uel labore uel sumptibus exscribi. His accedebat uoluntas eorum, quibus uita mea rationes omnes subieci. Deum precor, tuo sit & publico bono, cui omnis nostra seruit industria.

Seriem quaestionum D. Thoma non omnino seruaui, praesertim in ijs quae ad Iustitiam pertinent; eò quod ipse plurima uel non attigit, uel breuiter tantum aut obiter, prout occasio soluenda alicuius obiectiuncula ferebat. Vnde saepe 20. uel 30. dubitationes circa unum articulum aut unam responsionem inducenda fuissent, magna totius materiae & Operis confusione. Quare uisum fuit alium ordinem Lectori commodiorem instituire, & totum Opus in quatuor libros partiri, cuique Virtuti Cardinali suo libro attributo: qui tamen de Iustitia, longè ceteros sua mole superat, ob argumenti, in quo hac uersatur, copiam, & necessariam notitiam. quam obrem eundem in septem sectiones, seu partes principales distribui: sectiones in capita, & capita in dubitationes; quas etiam, quantum fieri potuit, articulis D. Thoma aptaui.

Scētatus sum breuitatem plerisque amicam, selectiora persequens, quae uel ad usum, uel ad speculationem uisa sunt illustriora, & ex
quibus

quibus alia haud ita magno negotio possunt à bonis ingenijs exculpi. Sententias Auctorum obsoletas vel pratermissi, vel obiter tantum attigi. In rebus claris Auctores multos adducere superuacaneum duxi, & Lectori molestum; in ambiguis non pratermissi, quantum opus visum, celebrioribus aliquot expresse adductis, ceteris compendio, indicato nimirum Auctore & loco, ubi particulatim citantur. Multitudinem textuum de industria vitavi, satius esse ducens paucos firmos & ad rem pertinentes, quam dubios vel naëpyes in medium proferre, & Lectoris studium eludere. Perspicuitatem ubique præstare sum conatus, declinatis persæpe obscurioribus loquendi formulis, quæ studiosis tenebras possent offundere. Sententiam veriore in singulis indagare, & omni ope firmare studui, allata, quantum licuit, ratione aliqua fundamentali; insinuata tamen sententia diuersa probabilitate, si quam fortè habere videbatur. Hac enim contrariarum sententiarum cognitio commodissima, & ferè necessaria conscientia foro. Denique quid re ipsa præstitum sit, eruditi & candidi Lectores indicabunt. Hoc sanè ingenue fateri possum, magno mihi labore stetisse, & facilius tres tomos à me de istis argumentis, si quæ passim obuia corradere, & Auctorum sententijs, citationibus, ac rationibus persequendis me diffundere libuisset, conscribi potuisset, quam hunc unicum. Verùm consulere volui studiosorum commoditati pariter & fructui; quos proinde oratos velim, hunc laborem meum boni consulant, & quidquid in eo reperient à præceptis opinionationibus suis discrepans, benigne interpretentur.



BRE-